



Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE CONCILIIS, ET|| ECCLESIA MILITANTE,|| QVATVOR LIRBRIS||
COMPREHNSA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

IX. Nota sexta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53873](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53873)

stat, non esse in Romana Ecclesia mutatam religionem. Si secundum asserat, aperte mentitur. Nulli enim fuissent hæretici, si semper omnes putassent, in Romana Ecclesia esse veram fidem. Præterea Donaristæ Romanam Ecclesiam oppugnabant, ut nunc faciunt Lutherani & Calvinistæ.

OPTATUS lib. 2. contra Parmenianum: *Vnde est, inquit, quod claves Regni vobis Donaristæ & usurpare contenditis, qui contra cathedram Petri vestris presumptionibus & audacia sacrilegio militatis?* Et AUGUSTINUS lib. 2. contra Ilicem Petilianum, cap. 51. *Cathedra tibi quid fecit Ecclesia Romana, in qua Petrus sedit, & in qua nunc Anastasius sedet? Cur appellas cathedram pestilentia, cathedram Apostolicam?* Etiam Optatus & Augustinus à successione ista contra Donaristas argumentantur, ut supra vidimus.

CAPVT IX.

NOTA sexta.

SEXTA NOTA est CONSPIRATIO in doctrina cum Ecclesia antiqua. Vera enim Ecclesia dicitur Apostolica, teste Tertulliano libro de præscript. non solum propter successionem Episcoporum ab Apostolis, sed etiam propter doctrinae consanguinitatem, ut ipse loquitur, quia videlicet doctrinam retinet, quam Apostoli tradiderunt, certum autem est, antiquam Ecclesiam primis quingentis annis veram Ecclesiam fuisse, & proinde Apostolicam doctrinam retinuisse. Quare laudatur THEODOSIUS Imperator à Sozomeno lib. 7. hist. cap. 12. quod hac arte compescuerit hæreticos sui temporis. Iussit Principes sectarum convenire, deinde petiit, ut existimarent, antiquos Patres, qui Ecclesiam rexerant ante dissidium illud, quod tunc de religione ortum fuerat, rebus consensisse, & verè sanctos & Apostolicos fuisse; quod cum illi concessissent, subiunxit: *Examinemus ergo doctrinam vestram ad illorum scripta, & si cum illis consenserit, retineatur, sin minus, abiciatur.*

Iam duobus modis possemus ex hac nota probare nostram esse veram Ecclesiam, non autem aduersariorum. PRIMO proferendo sententias veterum, quibus singula nostra dogmata

gmata confirmarem, aduersariorum refutarem, sed hic modus prolixissimus esset, & multis calumniis & obiectionibus obnoxius. ALTERA via est breuior & certior, nimirum ostendendo primùm ex confessione aduersariorum, nostra dogmata esse doctrinam omnium veterum. Deinde, dogmata aduersariorum habita fuisse in Ecclesia antiqua pro exploratis hæresibus. Sic enim constabit, doctrinam nostram conspirare cum doctrina veterum Catholicorum, doctrinam verò illorum conspirare cum doctrina veterum hæreticorum.

Ac primùm CALVINVS in sua institutione cum nostra oppugnat, passim fatetur, se repugnare toti antiquitati; ex quo sequitur, nostra esse omnino antiquitati consentanea. Sic igitur ait lib. 2. cap. 2 §. 4. *Semper apud Latinos nomen liberi arbitrii existit, apud Græcos verò ἀντεξέσις, vocabulū multò arrogantius. Et infra §. 8. Ego verò neq; ipse huiusmodi vocem usurpare velim, & alios, si me consulant, abstinere optarim.* Ibidem dicit, omnes veteres, excepto Augustino, in hac re plus æquo extulisse humanas vires, & de libero arbitrio aut variasse, aut vacillasse, vt nihil certi ex eorum scriptis sumi possit.

Ita profiteretur, se nullum veterum, excepto Augustino, sequenturum; & paulò post etiam Augustinum deserit. Nam li. 2. ca. 3. §. 7. reprehendit illam Augustini sententiam, ex epist. 106. voluntatem nostram cooperari gratiæ, non vt præuiam, sed vt pedissequam. atqui, ait Calvinus, nec vt pedissequam cooperari, sed simpliciter totum fieri à gratia. Et lib. 3. ca. 11. §. 15. *Ac ne Augustini quidem, inquit, sententia per omnia recipienda est, qui gratiam ad sanctificationem refert, qua in vita nouitatem regeneramur per spiritum.* Itaque in articulo de gratia & libero arbitrio fatetur Calvinus, se toti antiquitati repugnare. Item lib. 2. cap. 14. §. 3. *Excusari non potest veterum error, inquit, qui dum ad Mediatoris personam non attendunt, totius ferè doctrina, qua in Euangelio Ioannis legitur, se unum obseruant sensum, seseq; implicant multiloquis.* Docet hoc loco Calvinus, Filium Dei subiectum esse Patri etiam ratione Diuinitatis; & quia omnes veteres cōtrarium docent, ipse ait, omnes errasse, neque eorum errorem excusabilem esse.

Item lib. 2. c. 16. §. 9. *Fabula, inquit, de loco subterraneo, qui*

dicitur *Limbus*, tametsi magnos auctores habet, tamen nihil aliud, quàm fabula est. Vocat magnos auctores, antiquos Patres; nam scholasticos Doctores non solet appellare, nisi Sophistas.

Item lib. 3. ca. 3. § 10. Ab vno Augustino, inquit, sumant Lectores, si quid de sensu antiquitatis habere volunt. Porro inter illum & nos, hoc discriminis videri potest, quod ipse morbum concupiscētia, nunc demum peccatum fieri docet, cum appetitione cedit voluntas; nos autem illud ipsum pro peccato habemus, quod aliqua omnino cupiditate contra legem Dei hominibus titillatur, immo ipsam prauitatem, quæ huiusmodi cupiditates nobis generat, asserimus esse peccatum. Hic apertè omnibus Patribus se fatetur contrarium, atq; ipsi etiam Augustino, in quæstione de concupiscētia, quæ præcipua ^{causatio} est; nam ex hoc fundamento deducunt non esse in nostra iustitiam, sed tantùm imputatiuam, & nulla esse bona merita, immò omnia opera esse peccata.

Item lib. 3. cap. 4. §. 38. Omnes ferè veteres, inquit, quorum libri exstant, aut hac in parte lapsi sunt, vbi de satisfactorio agitur, aut nimis asperè & durè loquuti sunt. Item lib. 3. ca. 10. Ante mille & trecentos annos vsu receptum fuit, vt prædicationes fierēt pro defunctis. Sed veteres omnes, fateor, in erratè abrepti sunt. Item lib. 3. cap. 15. §. 2. Vsi sunt, fateor, passim vetustis Doctores nomine meriti. Et infra dicit, pessimè conuulisse fidei sinceritati, qui hoc nomen inuenit. Item lib. 4. ca. 4. §. 10. Peccauit antiquitas immodica seueritate, quod plus requireret in Episcopo, quàm Paulus requirat, ac præsertim successu temporis cælibatum. Item lib. 4. cap. 12. §. 8. Excusari nullo modo potest immodica veterum austeritas, quæ & præscriptis à Domini præscripto dissidebat, & erat mirum in modum periculosa, cum peccatori pœnitentiam solennitatem nunc septem, nunc in quatuor, nunc in tres annos, nunc in totam vitam indiceret. **NOTA.** Caluino ita videri hoc asperum quia ipse putat, per fidem sic iustificari hominē, vt nihil pœnitendū restet; quod si verum esset, rectissimè accusant omnes veteres: proinde sequitur sententiā nostram de potentia remanente post remissionem culpæ, iudicio Caluini sententiam esse omnium veterum.

Item lib. 4. cap. 12. §. 20. Non in totum excusare audeo veteres

res, quin & superstitionis quadam semina iecerint, & occasionem prabuerint tyrannidi, quæ postea exorta est, & tunc passim inualuerat superstitiosa Quadragesima observatio, quia & vulgus exitimium aliquod obsequium prestare se Deo in ea existimabat, & pastores eam commendabant pro sancta Christi imitatione. Et infra: Fuit igitur mera κακοζηλία, & superstitionis plena, quod titulo ac colore imitationis Christi ieiunium ordinabant. Ibidem §. 23. Quod Sacerdotibus interdictum fuit coniugium, id factum est impia tyrannide. Quando autem fuerit interdictum, notat ipse in margine ponens, Syricius in epistola ad Episcopos Hispaniæ. Porro Syricius ferè ante annos M. CC. sedit. Et infra subiungit de hac lege: Hæc quæ videbantur reuerentiam sacerdotio conciliare, magno plausu etiam antiquitus recepta esse fateor.

Item lib. 4. cap. 15. §. 20. Quod multis ab hinc seculis, adeoq; ab ipso ferè Ecclesia exordio vsu receptum video, ut in periculo mortis Laici baptizarent, si minister in tempore non adesset, non video quàm firma ratione possit defendi. Item lib. 4. c. 18. §. 21. Excusari non posse arbitror, veteres, quin aliquid in actionis modo peccauerint; imitati sunt enim Iudaicum sacrificandi morem magis, quàm aut ordinauerit Christus, aut Evangelij ratio sinebant. Hæc Calvinus.

Iam Centuriatores in singulis Centuriis ad finem 4. capituli, annotant, omnes ferè Doctores illius seculi, docuisse ea dogmata, quæ nos hoc tempore tuemur, quæ ipsi næuos sanctorum Patrum vocant. Et quia de omnibus dicere nimis longum esset, annotabo solum aliqua pauca ex 2. 3. 4. & 5. Centuriis.

In secunda ergo Centuria cap. 4. col. 59. de libero arbitrio, dicunt, id ab omnibus Patribus eius seculi concessum fuisse: Eodem, inquiunt, modo Clemens liberum arbitrium & big; asserit, ut appareat in eiusmodi tenebris, non tantum fuisse omnes eius seculi Doctores, verum etiam in posterioribus eas subinde creuisse & auctas esse.

NOTANDVM autem est, Lutheranos habere articulum de libero arbitrio pro fundamento totius suæ doctrinæ. Lutherus enim in assert. art. 36. dicit, hunc articulum esse optimum, & summam rerum suarum, aded vt articuli de Papatu, de

de Conciliis, aliisque similibus rebus nugæ dici possint. Itaque in præcipua controuersia, & in ipsa summa rei omnes veteres (testibus Magdeburgensibus) nobis fauent. Deinde col. 60. *Doctrina*, inquit, *de iustificatione negligentius & obscurius ab his Doctoribus tradita est, videlicet, non docent nos sola fide iustificari.* Et Cent. 3. cap. 4. col. 83. *Videas*, inquit, *in Doctorum huius seculi scriptis, non obscura vestigia inuocationis Sanctorum.* Et col. 85. *Martyrium immodicè extulerunt omnes huius ætatis Doctores.* Nolunt enim Lutherani esse martyrium genus quoddam Baptismi, aut vllò modo expiari peccata per martyrium.

Cent. 4. col. 295. ponunt testimonia veterum ferè omnium illius seculi, vt Athanasij, Basilij, Nazianzeni, Epiphaniij, Ephrem, Ambrosij, & Prudentij, pro inuocatione Sanctorum, quam ipsi tamen idololatriam vocant.

Cent. 5. col. 500. *Sicut*, inquit, *prioribus aliquot seculis doctrina de libero arbitrio deprauata est, ita hoc etiam, &c.* Et infra: *Etiamsi autem interdum bene, & sanè videntur loqui, tamen tandem liberum arbitrium in rebus etiam spiritualibus in ipsa conuersione statuunt.* Et col. 506. *Nimium hac ætas bonis hominum operibus adscripsit, id quod ex deprauato articulo iustificationis emanat, &c.* Et statim citant omnium veterum illius seculi, etiam Augustini, multa testimonia, quòd opera sint meritoria, quòd ipsi pro magnoctore habent.

Porro eleganter aduersus istos, qui omnes antiquos errasse dicunt, loquitur TERTULLIANVS libro de præscript. *Age*, inquit, *nunc omnes Ecclesia errauerint, nullam respectur Spiritus sanctus, vti eam in Veritatem deduceret, ad hoc missus à Christo, ad hoc postulatus de Patre, vt esset Doctor Veritatis. Neglexerit officium Dei & illius, Christi Vicarius, seruans Ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere, quos ipse per Apostolos predicabat, & quid Verisimile est, vt tot tanta in vnam fidem errauerint? Audeat ergo aliquis dicere, errasse eos, qui tradiderunt? quoquo modo sit erratum, tam diu vsq; errauit error, quam diu hæreses non erant. Aliquos Marcionitas & Valentinianos liberanda Veritas exspectabat, interea perperam euangelizabat, tot millia millium perperam tincta, &c.*

Nunc ad alteram partem, ut accedamus, præmittendum est, in Ecclesia antiqua illos errores habitos esse communiter ab omnibus pro exploratis & damnatis hæresibus, qui ponuntur in Catalogo hæresum ab Irenæo, Hieronymo, Epiphano, Philastrio, Augustino, Theodoro, Damasceno, aliisque probatis auctoribus; nam illi cum essent viri sancti & docti, nunquam fuissent ausi, simpliciter in Catalogum hæreseos referre ea dogmata, de quibus in Ecclesia dubitari sciuisent. Et præterea neminem legimus, qui unquam contradixerit his Patribus, tanquam qui non iuste aliquem notasent hæreseos. Hoc præmissis, aggrediamur Catalogum.

SIMONIANI docebant, saluari homines secundum gratiam Simonis, quem Deum faciebant, & non secundum operas iustas, inquit Irenæus lib. I. ca. 20. EUNOMIANI similiter docebant, non posse homini vlla peccata nocere, modò fidem habeat, ut Augustinus testatur, libro de hæres. cap. 54. qui etiam libro de fide & operibus, cap. 14. dicit, hanc hæresim de sola fide sufficiente ad salutem sine operibus; ortam esse tempore Apostolorum, ex non intellecto Paulo, & propterea contra hanc hæresim stylum præcipue direxisse alios Apostolos in suis epistolis, id est, Petrum, Ioannem, Iacobum, & Iudam. At hæc eadem est sententia omnium sectariorum huius temporis.

LUTHERVS in libro de captiuitate Babylonica, capite de Eucharistia: *Non alia via, inquit, potest homo cum Deo conuenire, aut agere, quam per fidem, opera ille nihil curat. Ibidem: Tam diues est Christianus, ut non possit perire, etiam si velit, quantumcumque male viuat, nisi nolit credere.* Et si autem Calvinus, Brentius, & alij quidam conantur non nihil temperare hanc sententiam, dum dicunt, opera bona esse necessaria, tanquam effectus fidei, tamen adhuc hærent in eodem errore; nam etiam posita ista necessitate, docent, opera non mereri vllò modo vitam æternam, etiam si Deus ea requirat, tanquam testimonia fidei. Hæc autem erat impiissima hæresis Simonis, qui dicebat, hominem saluari per gratiam, non per operas iustas. Præterea posita illa necessitate operum, docent omnes sectarij; Si quis post omnia scelera patrata habeat actum fidei, nullum ei peccatum imputari, quod nihil est aliud, quam quod Eunomius & Lutherus docent.

Deinde,

Deinde, FLORINI hæresis fuit, Deum esse causam peccatorum, quam Irenæus apud Eusebium lib. 5. hist. cap. 20. dicebat esse plus quàm hæresim; quam etiam tribuit Vincentius Lyrinensis in suo cõmonitorio Simoni Mago. Eandem sine ullo pudore docet CALVINUS lib. 1. Instit. ca. 18. §. 2. *Non solum permissu, inquit, sed etiam voluntate Dei homines peccant, ita ut nihil ipsi deliberando agerent, nisi quod Deus apud se decreverit, & arcana directione constituit.* Et lib. 3. cap. 23. §. 24 dicit, Dei non solum præuisione & permissione, sed etiam voluntate in peccatum lapsum esse Adamum. Et infra, ca. 24. §. 14. *Quod, inquit, aliqui verbum Dei audire contemnunt, ipsorum est prauitas, sed in hanc prauitatem à Deo adducti sunt, ut in eis potentiam suam & seueritatem ostendat.*

Idem apertè docuit LUTHERUS in libro de seruo arbitrio, ubi dicit, illud velle, quod Iudæ voluit Christum proderet, *fuisse opus Dei, nec fuisse in manu Iudæ, aut ullius creaturæ, mutare illam voluntatem.* Similiter docuit Petrus MARTYR in commentario, cap. 2. lib. 1. Regum; & Philippus MELANCTHON in commentario, cap. 8. ad Romanos, ubi dicit, *ita fuisse opus Dei Iudæ proditionem, ac Pauli conuersionem, quæ commentaria ad eò dicuntur placuisse Luthero, ut diceret, Philippum secundum esse à Paulo: hunc tamen errorem Philippus retractauit, tum in Locis, tum in Apologia, art. 19. Confessionis Augustanæ.*

III. ORIGENIS hæresis fuit, perdidisse Adamum imaginem Dei, ad quam creatus fuerat, testis est Epiphanius hæref. 64. Idem docet CALVINUS lib. 2. Instit. cap. 1. §. 5. *Per peccatum, inquit, primi hominis oblitterata est cælestis imago.* Item Origenis fuit error, infernum nihil esse, nisi cõscientiæ horrorem, teste Hieronymo, in epistola ad Auitum. Idem docet Calvinus lib. 3. Instit. cap. vlt. §. vlt.

IV. PEPVTIANI hæretici, ut ait Augustinus libro de heres. ref. cap. 27. tantum dant mulieribus principatum, ut sacerdotio quoque apud eos honorentur. LUTHERUS art. 13. ex illis quos Leo X. damnauit, dicit, in Sacramento Pœnitentiæ què absolueret posse mulierem, vel puerum, atq; Episcopum, vel Papam; & iam re ipsa Calvinistis in Anglia mulier quædam est summus Pontifex.

V. PROCLYS hæreticus apud Epiphanium hæref. 64. dicebatur

bat, peccatum in renatis semper viuere; concupiscentiam enim verè esse peccatum, nec tolli per Baptismum, sed sopiri per fidem; quod idem postea docuerunt Messaliani hæretici apud Theodoretum lib. 4. de hæreticis fabulis. Hæc est ipsissima sententia Lutheri art. 2. & 31. atque in assertionibus eorundem articulorum. Item Philippi in locis communibus, cap. de peccato originis, & Caluini lib. 4. Instit. cap. 15. §. 10.

VI. NOVATIANORVM error præcipuus erat, non esse in Ecclesia potestatem recõciliandi homines Deo, nisi per Baptismum, postea etiam addiderunt, non debere baptizatos inungi Chrismate ab Episcopo. Ita refert Theodoretus lib. 3. de hæret. fabulis, & S. Cornelius Papa apud Eusebium, lib. 6. cap. 33. hist.

Quæ sententia pro parte priore expressè Calvinistarū est. Nam Calvinus lib. 4. Instit. c. 19. §. 17. sic ait, nullum esse Pœnitentiæ Sacramentum, præter Baptismum: *Quod Verò Hieronymus ait, Pœnitentiæ esse secundum tabulam post naufragium, planè impium est, & excusari non potest.* Pro altera parte est omnium Lutheranorum. LUTHERVS de captiuitate Babylonica, cap. de Eucharistia, tria tantum agnoscit Sacramenta; Baptismum, Pœnitentiæ, & Panem; tamen infra cap. de extrema Vnctione, reiicit Pœnitentiæ. Confessio Augustana art. 12. disertè reiicit Confirmationem. Et Calvinus lib. 4. Instit. cap. 19. §. 5. & sequentibus, dicit, Chrisma nostrum esse oleum Diaboli mendaciis pollutum, & propterea Calvinistæ ex illo ocreas suas inungunt, cum possunt.

VII. SABELLIVS docuit, vnã tantum esse personam in Deo, non tres; testis Epiphanius hæret. 57. Idem docuit nostro tempore Michaël Seruetus lib. 1. de Trinitate, sine vllis ambagibus, & nunc ea sententia in multis locis regnat.

VIII. MANICHÆORVM, inquit Hieronymus in præfatione Dialogorum contra Pelagianos, *est, hominum damnare naturam, & liberum auferre arbitrium.* Et Augustinus de hæres. cap. 46. *Peccatorum originem, inquit, non tribuunt Manichæi libero arbitrio.* Idem apertè sectarij omnes. LUTHERVS art. 36. dicit, liberum arbitrium esse rem de solo titulo; in assertionibus autem eiusdem articuli dicit, esse titulum sine re, & omnia ex necessitate absoluta euenire. Et propterea libro, quem scripsit contra liberum arbitrium,

trium,

trium, in Erasmus, nomen posuit, de seruo arbitrio. CALVINVS lib. 2. Instit. cap. 2. 3. & 4. non permittit homini liberam electionem vlla in re, adeo vt ne ipsum quidem nomen tolerare possit. Hoc tamē est magis impius Calvinus Manichæo, quod Manichæus Deo malo tribuat peccatorum originem, Calvinus Deo bono.

Manichæi præterea accusabant passim Patres Testamenti veteris, vt Abraham, Sampsonem, Saram, Rebeccam, & similes, vt Augustinus testatur lib. 22. contra Faustum, & duobus libris contra Aduersarium Legis & Prophetarum. Idem fecit CALVINVS. Nam lib. 3. cap. 2. §. 31. Instit. Sara, inquit, multis modis peccauit, cum ancillam viro suo supposuit. Rebecca vero variis fraudibus, & imposturis Dei veritatem corripit, cum malo artificio filij benedictionem procurat, maritum decipit, filium mentis cogit. Item lib. 3. cap. 5. §. 8. Superstitione & præpostero zelo non caruit factum Iuda Machabæi, qui oblationem misit pro mortuis in Hierusalem. Item lib. 3. cap. 14. §. 11. dicit, Abraham fuisse idololatram. Item lib. 3. ca. 10. §. 11. In Sampson e, inquit, cum ait, Robora me Domine, &c. Summa cupiditas vindicta dominata est. Item lib. 4. cap. 15. §. 11. posteaquam docuerat, mulieri in nullo casu licere baptizare, subdit: Nec in exemplum trahi debet, quod Sephora facta mulier filium circumcidit, in quo multis modis grauiter peccauit.

IX. DONATISTAE Ecclesiam ex solis iustis constare volebant, atq; inde deducebant, Ecclesiam visibilem perire de orbe terrarum, & in sola Africa remansisse, vt Augustinus docet lib. de vnitae Ecclesie, cap. 12. Idem Catholicos crudelissimè trucidabant, oderant præcipuè Monachos & Episcopos, quos Phariseos vocabant, & in primis Episcopum Romanum, cuius sedem cathedram pestilentie appellabant, tartaria frangebant, Ecclesias spoliabant, sacros calices vendebant, Eucharistiam canibus dabant, sacrum Chrisma proieciebant, vt patet ex Augustino lib. 2. contra Petilianum, cap. 51. & 61. lib. 3. cap. 40. & epist. 163. & alibi. Idem ex Oprato lib. 2. & 6. contra Parmenianum.

Eandem esse doctrinam & vitam Calvinistarum, certum est; nam Ecclesiam ex solis bonis constare, docet Calvinus lib. 4. Instit. cap. 1. §. 7. quod etiam docet articulus 7. Confessionis.

tionis Augustanæ. Ecclesiam visibilem à multis seculis periisse, & nunc solum esse in Septentrionalibus partibus, ubi ipsi sunt, docent omnes, & præcipue Calvinus lib. 4. Instit. cap. 2. §. 2. Porro nihil eorum, quæ blasphemè vel crudeliter, vel sacrilegè dixerunt Donatistæ, vel egerunt in Catholicos, & Sacramenta, atque altaria, &c. omisisse Calvinistas, sed multò plura & maiora dixisse, & egisse, patet ex historia Sutij, & ex libro, qui nuper prodiit, qui inscribitur, de furoribus Gallicis, & aliis auctoribus fide dignis.

X. ARIANI docebant, Filium Dei esse Patre minorem, ut est apud Epiphanium hæres. 69. Deinde, iidem Ariani non recipiebant vllò modo traditiones nõ scriptas, ut docet Maximinus Episcopus Arianorum apud Augustinum, lib. 1. cap. 2. & ultimo contra Maximinum; quam hæresim postea imitati sunt multi alij, ut Nestorius, Dioscorus, Eutyches, ut habetur in VII. Synodo act. 1. Denique, iidem Ariani plura & maiora sacrilegia patrarunt in Sacramenta, Altaria, Sacerdotes, Monachos, Sanctimonialia, &c. quàm Donatistæ, ut patet ex Athanasio in Apologia pro fuga sua, Ruffino lib. 11. hist. cap. 3. Theodoro to li. 4 hist. cap. 19. & 20. & Victore Vticensi lib. 2. & 3. de VVandalica persecutione.

PRIMUM errorem Arianorũ apertè docent hoc tempore multi, qui Tritheitæ dicuntur, ut agnosci potest ex Prothesibus Valentini Gentilis. Quamvis autè Lutherus, Philippus, Calvinus, & similes habeant Arium pro hæretico, tamè negare non possunt, quin in suis scriptis huius erroris semina iecerint, vnde postea orti sunt isti novi Ariani, quos ipsimet impugnant, ut nos demonstrauimus in præfatione librorũ de Christo. Deinde, ALTERVM errorem docent omnes huius temporis hæretici. Sectarij enim huius temporis omnes traditiones reiiciunt, ut patet ex Brentio in Prolegomenis, Caluino lib. 4. Instit. cap. 8. §. 8. & aliis. Porro illa crudelia & sacrilega facinora Arianorum, si tantum nomina mutentur, sunt illa ipsa, quæ Calvinistæ passim facitiant.

XI. ARIANI hæretici, teste Epiphanio, hæres. 75. & Augustino libro de hæres. cap. 33. tres errores docuerunt: *Orare, inquit Augustinus, vel offerre pro mortuis oblationem non oportere, nec statuta solenniter celebranda esse ieiunia, sed cum quisque voluerit ieiunandum, ne videatur esse sub lege. Denique, presbyterum ab Episcopo nulla differentia debere di-*

scerni. Addit Epiphanius, eos è contrario consueuisse ferre sexta, & in Quadragesima, ac præcipuè in hebdoma sancta vesci carnibus, & si quando ieiunare volebāt, potius die Dominico, quàm alio die ieiunare solitos.

Eadem docent & faciunt Calvinistæ, & Lutherani ferè omnes. Calvinus Institut. lib. 3. cap. 5. §. 6. 7. & sequentibus disputat ex professo contra orationem pro defunctis. Idem libro 4. cap. 12. §. 20. disputat contra ieiunium Quadragesimæ, & superstitiosum vocat. Denique libro 4. cap. 3. §. 2. ait: *Episcoporum, ac Presbyterorum, Pastorum, ac Ministrorum eadem functio est prouincia est.* CENTVRIATORES Centur. 4. cap. 5. col. 401. cùm in aliorum hæreticorum erroribus numerandis soleant omittere eos, quos suos etiam esse agnoscunt, cùm ad Aërium venerunt, quia videbant hos res errores tantùm, tanquam proprios Aërij, ab Epiphano & Augustino annotatos fuisse, non potuerunt eos omittere. Itaque posuerunt illos quidem, sed mox addiderunt, si nihil aliud sit, hos non videri errores, sed contrarios potius. Tententur igitur, has tres sententias sibi cum Aërio esse communes, neque negant, in antiqua Ecclesia pro damnatis hæresibus habitas esse. Ex quo sequitur, vt etiam Centuriatores, licet tum nondum nati, antiquæ Ecclesie hæretici fuerint.

XII. IOVINIANVS, non posse peccare asseruit hominem post Baptismum, si verè baptizatus fuerit, id est, si reuera fidem & gratiam Dei acceperit; deinde ciborum delectationem & ieiunia non esse meritoria: præterea coniugium virginitati dignitate & merito æquari. Vnde etiam aliquot Sancti moniales eius hortatu nupserunt. Item præmia beatorum esse paria. Denique, B. MARIAM in partu carnis virginitate amisisse: Ita referunt Hieronymus lib. 1. & 2. contra Iovinianum, & Augustinus libro de hæres. cap. 82.

PRIMVS horum errorum est etiam Caluini lib. 3. Institut. cap. 2. §. 11. & 12. vbi dicit, veram fidem, quæ à gratia separari nequit opinione ipsius, semel habitam, nunquàm amittisse: & ideo non esse, nisi electorum.

SECUNDVS eiusdem Caluini est lib. 4. c. 12. §. 19. vbi arguit omnes veteres, quod laudauerint ieiunium, quasi esse meritorium. Idem error Ioviniani habetur in Confessione Augustana art. 24. & in locis Philippi. cap. de mortificatione.

TERTI

TERTIVS error est Martini Lutheri in epithalamio, ubi exponens ca. 7. primæ ad Cor. quatuor comparationes facit.

PRIMA est, castitatis cum Matrimonio absolutè, & sic fatetur castitatem esse nobilius donum. SECUNDA, castitatis cum Matrimonio coram Deo, & sic dicit esse æqualia. TERTIA, mulieris conjugatæ cum virgine, & ait: *Oportet admirari mulierem conjugatam coram Deo præstare virginibus.*

QUARTA, status conjugatorum cum statu religiosorum & Ecclesiasticorum continentium cœlibatum; & dicit, statum conjugatorum ex natura sua esse spirituale, diuinum, cœlestem, & quasi aurum: statum verò cœlibum esse secularem, terrenum, & quasi lutum. Similia habet Confessio Augustana art. 23. & Calvinus lib. 4. Instir. cap. 13 §. 3. & sequentibus. De his duobus erroribus Centuriatores Cent. 4. cap. 5. col. 381. dicunt, perperam reprehendi Iovinianum à Hieronymo & Augustino, cum ipsi potius, si cõtrarium senserunt, fuerint hæretici.

QUARTVS error Buceri ac Molinæi est. Hic enim, Bucero auctore, in tertia vnionis Euangelicæ parte affirmat, IESVM nascentem adaperuisse vuluam B. MARIÆ.

QVINTVS est Lutheri in sermone de natali B. MARIÆ, & in commentario primæ epistolæ Petri, ubi dicit, omnes Christianos esse æquè sanctos ac iustos, atq; est mater Dei: Ex quo sine dubio sequitur, fore omnes æquè beatos.

XIII. VIGILANTIUS multa etiam docuit. Primò, Sanctorum reliquias non esse venerandas. Secundò, orationes mortuorum pro aliis non exaudiri, ex quo sequitur, frustra Sanctos inuocari. Tertiò, Ecclesiasticos debere esse vxoratos. Quartò, non expedire relinquere omnia, & dare pauperibus, & ad religionem, relicto seculo, properare: Ita refert Hieronymus in libro contra Vigilantium.

Eadem omnia docent nunc sectarij. LUTHERVS in sermone de sancta cruce dicit, reliquias Sanctorum esse fidelium seductionem, & ideo sub terram penitus condi debere; & in libro de abroganda Missa, parte 3. affirmat, nõ maiorem esse Deo curam de sancto sepulcro Domini, quàm de bobus, de quibus Apostolus ait: *Nunquid Deo est cura de bobus?* Idem Lutherus libro de Eucharistia ad VValdenses dicit, stultam & perniciosam esse Sanctorum inuocationem. Idem in epithalamio dicit, Matrimonium iure diuino esse præceptum

omnibus, etiam Ecclesiasticis & Monachis, qui nō sentiunt se habere donum continentie. Vocat autem ipse donum continentie, non gratiam, qua nō consentimus tentationibus carnalibus, sed qua non tentamur, qualem ferè nulli habent. Denique, idem ferè in libro de votis monasticis ex professo dehortatur à religione, & solùm permittit, ut fœmine LX. annorum, & viri LXXX. vel XC. annorum in monasteriis maneant. Eadem docet Confessio Augustana; nam contra Sanctorum inuocationes, agit artic. 21. contra Clericorum continentiam & Monachorum, art. 23.

Similiter CALVINVS contra inuocationem Sanctorum agit lib. 3. Instit. cap. 20. §. 21. vbi etiam dicit, Papistas in suis Litaniis, Hymnis & Profis, in quibus sanctis mortuis nihil non tribuunt, nullam Christi mentionem facere, quod est mēdaciū crassissimū. Contra reliquiarum visitationem agit lib. 4. cap. 13. §. 7. & in libro, quem inscripsit, Admirationem de reliquiis; & re ipsa Calvinistæ combusserunt, & in flammam proiecerunt corpora sanctorum Irenæi, Martini, Hilarij, Bonauenturæ, &c. Contra cœlibatū Clericorum & Monachorum professionem, disputat Calvinus lib. 4. cap. 12. & 13. totis capitibus. DENIQUE, Centuriatores non luerunt numerare Vigilantium inter hæreticos, sed scribit de eo Cent. 4. cap. 8. col. 602. vbi dicunt fuisse contentionem inter duos sanctos Presbyteros, id est, Vigilantium & Hieronymum de reliquiis, inuocatione Sanctorum, &c. sed Hieronymum clamoribus tantum egisse, Vigilantium autem solidis rationibus: vbi etiam impudentissimè censuram quædam Erasmi in librum Hieronymi contra Vigilantium tribuunt Gregorio, quasi Gregorius desiderasset in Hieronymo modestiam. Sed de his aliàs.

XIV. PELAGIANI duo inter alia docebant. Primò, esse in hominibus peccatum originale, & præcipuè in infidelium; ita refert Augustinus lib. 6. contra Iulianum, cap. 2. & 3. & lib. 4. ad Bonifacium, cap. 2. & 4. Secundò, per quodlibet peccatū, quamuis leuissimū, perdi iustitiam, ac perinde omne peccatum esse mortale. Ita refert S. Hieronymus lib. 2. contra Pelagianos. Primum horum disertè docet Zwinglius in libro de Baptismo, Martinus Bucerus in cap. 3. Matth. & Calvinus lib. 4. Instit. ca. 15. §. 20. nisi quod Zwinglius negat simpliciter peccatum originale in quolibet ho-

mine, & tantum vult miseras quasdam per Adamum nos contraxisse; Bucerus autem & Calvinus, solum in filiis fidelium negant peccatum originale, quos dicunt Sanctos nasci, & saluari etiam sine Baptismo. Errorem alterum docent omnes sectarij. Lutherus in assertione artic. 32. Philippus in locis cap. de discrimine peccati mortalis & venialis, Calvinus lib. 2. Instit. ca. 8. §. 58. & lib. 3. c. 4. §. 28. & ceteri omnes, omne peccatum natura sua volunt esse mortale.

XV. NESTORIANI docuerunt, in Christo duas esse personas, & duas naturas, ita Theodoretus lib. 4. de hæret. fabulis, iidem omnes veteres contemnebant, teste Vincentio Lyrensi, id quod egregie præstat Lutherus, Calvinus, & alij omnes; errorem autem præcipuum Nestorij docet hoc tempore Theodorus B E Z A siue ex ignorantia, siue ex malitia, qui in libro de hypostatica duarum in Christo naturarum vnione, dicit, se duas vniones hypostaticas in Christo ponere, vnã animæ cum carne, alteram diuinitatis cum humanitate.

XVI. Eodem tempore fuerunt aliqui, nescio an etiam ipsi Nestoriani essent, qui docuerunt, in Eucharistia non manere corpus Christi, si seruetur in alteram diem, quos Cyrillus epistola ad Calosirium Episcopum insanire dicit. Hunc errorem rursus excogitauit Bucerus, docens, in Eucharistia non esse Christi corpus, nisi quando sumitur. Vide Cochlaeum tract. 8. lib. 3. Miscellaneorum. Idem postea docuit Philippus Melanchthon in locis, cap. de cœna Domini, & Calvinus lib. 4. Instit. cap. 17. §. 39.

XVII. EUTYCHIANI docuerunt, vnã esse in Christo naturam, sicut vnã personam; ita refert Theodoretus lib. 4. de hæret. fabulis. Eandem hoc tempore multi instaurarunt. In primis Gaspar Syvenckfeldius in libro de diuina Maiestate humanitatis Christi, asserit, post ascensionem Christi humanam eius naturam conuersam esse in diuinam, & iam esse verum Deum, non creaturam. Idem, vel aliquid aliquanto peius videtur sensisse Brentius, qui in sermone de ascensione Domini docet, Christi humanitatem ab ipsa incarnatione semper fuisse vbique. Idem docet Iacobus Smidelinus in disputatione Tubingensi, cap. 34. de qua re vide libros nostros de Christo.

XVIII. XENAIAS Persa primus palam asseruit, Christi

& Sanctorum imagines non esse venerandas : testis Nicephorus lib. 16. cap. 27. Idem nunc Calvinus lib. 1. Instit. cap. 11. toto, vbi etiam §. 7. non vult vlllo modo erigi signum crucis, in quo se fratrem Diaboli ostendit, nisi quod Diabolum ipsum impietate vincit. Diabolus enim crucem execratur, quia timet, & timendo honorat; Calvinus execratur, quia despicit atque irridet. Ibi etiam §. 13. dicit, primis quingentis annis nullas fuisse imagines in templis Christianorū, quod est insigne mendacium, etiam ipso Caluino teste; nam in præfatione Institut. dicit, Epiphanium in epistola ad Ioannem Hierosolymitanum scribere, se in templo vidisse imaginem Christi, aut nescio cuius Sancti pendere: Et præterea Lactantius in carmine ad crucifixum; Basilius in oratione in Barlaam, circa finem; Nyssenus oratione in Theodorum, non procul ab initio; Paulinus in vita Felicis; Prudentius de S. Cassiano; Euodius lib. 2. de miraculis S. Stephani; Athanasius ad Antiochum, quæst. 16. docent, suo tempore imagines Sanctorum fuisse in templis: istos autem omnes vixisse ante mille & centum annos, notissimum est. Adde, quod Nicephorus lib. 14. cap. 2. dicit, imaginem B. MARIÆ à S. Luca depictam, positam fuisse in templo, quod Pulcheria soror Theodosij Constantinopoli exstruxit in honorem B. Virginis.

XIX. LAMPETIANI docuerunt, monasteria debere esse libera, id est, sine votis perpetuis, ita refert Damascenus libro de centum hæresibus, circa finem. Idem hoc tempore Lactantius, qui in libro de votis monasticis dicit, non posse voti ueri piè in Monasteriis, nisi hac forma; Voueo castitatem, puritatem, & obedientiam vsque ad mortem, liberè, id est, mutare possim, quando volo.

XX. Quorundam, qui negabant, Eucharistiam verè esse carnem Christi, & tantum esse volebant figuram, seu imaginem corporis Christi; ita refertur in VII. Synodo, act. 6. cap. 3. & longè antea ex Ignatio idem refert Theodoretus in Dialogo, qui dicitur impatibilis. Hanc hæresim docent in tempore Zwinglius in libro de verbis cœnæ Domini, & Calvinus lib. 4. Instit. cap. 17. §. 12.

Habemus hæcenus viginti Hæresiarcharū hæreses, quæ damnatæ sunt ab Ecclesia, quæ fuit primis DCC. annis, quæ hæreses cum nos pro hæresibus, aduersarij nostri pro articulis

lis fidei habeant, sequitur nostram doctrinam conspirare cum doctrina antiquæ Ecclesie; Aduersariorum autem cum hæresibus antiquis.

CAPVT X.

NOTA septima.

SEPTIMA NOTA est VNIO membrorum inter se, & cum capite; nam Ecclesiam esse vnum corpus, vnam sponsam, vnum ouile, passim Scripturæ docet, ad Rom. 12. Cant. 6. Ioan. 10. & in Symbolo Constantinopolitano, dicimus vnam Ecclesiam. Præcipua autem vnitas corporis consistit in coniunctione membrorum cum capite, & inter se. de vtraq; vnione dicendum est, & primùm de prima; sed quoniam de capite Ecclesie, qui est Romanus Pontifex, alibi differuimus, hinc solùm, aliquot in medium allatis testimoniis Patrum, ostendemus, apud veteres semper fuisse habitam pro nota veræ Ecclesie coniunctionem cum Romano Pontifice.

IRENAEVS lib. 3. cap. 3. apertè dicit, ad Romanam Ecclesiam, propter potentiores principalitatem, necesse esse omnem conuenire Ecclesiam, id est, eos, qui vndique sunt fideles. CYPRIANVS lib. 1. epist. 3. *Post ista*, inquit, *adhuc insuper Pseudoepiscopo sibi ab hæreticis constituto, nauigare audent, & ad Petri cathedram atque Ecclesiam principalem, vnde vnitas sacerdotalis exorta est, à schismaticis & prophænis literas ferre, nec cogitare, eos esse Romanos, ad quos perfidia habere non possit accessum.* Et lib. 4. epist. 8. de cathedra Romani Pontificis loquens: *Scimus, inquit, hortatos nos esse, vt Ecclesia Catholica matricem & radicem agnoscerent, & tenerent.* AMBROSIVS in orat. de obitu Satyri: *Rogauit, inquit, si cum Episcopis Catholicis, id est, si cum Ecclesia Romana consentiret.*

HIERONYMVS in epistola ad Damasum de hypostasis nomine: *Hic, inquit, in tres partes scissa Ecclesia, me ad se rapere festinat, ego interim clamito; Si quis cathedra Petri iungitur, meus est. Meletius, Vitalis, atq; Paulinus tibi hæere se dicunt. Possent credere, si hoc vnus assereret; nunc aut duo mentiuntur, aut omnes.* Et in epistola superiori: *Ego, inquit, Beatitudini tuæ, id est, cathedra Petri communionem confector,*